DE SCROFULA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD SUMMOS...

Francesco medico Viotti (medico)

DE SCROFULA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS MEDICINAE HONORES

IN CAESAREA REGIA

Patavina scientiarum Universitate

ASSEQUENDA PROPONIT

FRANCISCUS VIOTTI

ex Buticino sera

IN PROVINCIA BRIXIENSIS

PATAVII

TYPIS VALENTINI CRESCINII

1843

DE SCROFULA

Scrofula Graecis nuncupatur χοιρας, ab Hyppocrate χοιραδες, quod significat porcum. Latini eodem nomine utuntur hunc morbum vocando scrofulam a scrofa, porcus, atque tali insignitur nomine quod hic morbus apud scrofas quoque occurrere soleat.

Diversimode a variis auctoribus scrofula definita invenitur; sed omnes definitiones quae huic morbo usque dum tributae fuere parum inter se differunt; quapropter Clarke eam dicit chronicam systematis lymphatici affectionem cum tumoribus glandularum atque vasorum lymphaticorum atonia; Curtius Sprengel hisce verbis se se exprimit: scrofulosum morbum dicimus cachexiam in tumoribus glandularum et atonia vasorum lymphaticorum versantem. Soemmering in suo tractatu de morbis vasorum absorbentium ita scrofulam definit: inflatio, et induratio chronica glandularum lymphaticarum sive absorbentium a vitio peculiari limphae et systematici exortae, ac saepe saepius speciali corporis compage conjun-

ctae; quae ultima definitio quamvis a supradictis non modo differat, tamen nostrae magis omologa adparet; nos enim sub scrofulae nomine intelligimus intumescentiam atque indurationem glandularum lymphaticarum tum in partibus corporis internis, tum in externis praecipue in collo, comite habitu cachetico, ideoque eam vocamus *cachexiam scrofulosam.*

Sicuti scrofulosa diathesis uti jam diximus plerumque et quam maxime glandulas lymphaticas colli et sub maxillares adoritur, ita aliquando oculum medicum primo intuitu fallere potest, etenim huic regioni alii quoque morbi proprii sunt qui cum scrofula confundi possunt, nisi reliquis symptomatibus mens ponantur, uti sunt *struma, broncocele et parotitis.* Occurrunt quoque laeves infarctus, glandularum praecipue in infantibus qui crusta latea corripiuntur, quique infarctus celeriter augentur et distinguuntur nomine scrofulae spuriae.

Divisio scrofulae.

Distinguitur scrofula interna, atque externa. Externa dicitur ea quae in partibus corporis externis occurrit, et sistit congeriem tumorum in glandulis lymphaticis formae sphaeroidalis, inter-

dum oblungae, et quandoque ipsius figurae glandulae; isti tumores duri sunt, mox indolentes, mox inflammati, vel jam aliquis exitus in illis locum habuit et purulentiam manifestant; molis varii sunt, modo pisa, modo fabas, et modo nuces juglandes aequant, sed alternatim increscunt et decresunt, quoad Sprengel lunae efficaciae tribuit. Frequentissime in parte laterali colli vix sub maxilla inferiori adparenti oriuntur etiam in plexubus pulmonalibus lymphaticis, quapropter incipit scrofula cum intumescentia ad collum et angina parotidea. Sub morbi decursu vero reliquae glandulae patiuntur, uti sub axillares, mammariae, inguinales et bursae mucosae quorum glandulae sunt lymphaticarum soboles.

Hinc totum corpus interdum variis tegitur tumoribus, et volumen ejus adaugetur, et praeter volumen adauctum quoque adest specifica materiei organicae alteratio, atque haec scrofulae species dicitur *tuberosa.* Interna scrofula itidem consistit in tumoribus glandularum lymphaticarum et plexuum internorum; frequentissimam sedem constituunt glandulae meseraicae et plexus pulmonales, quapropter facilius in praxi occurunt infarctus mesenterii, et tabes, vel phthisis pulmonalis scrofulosa. Qualicumque modo autem scrofula existat, sive externa, sive interna

sit, semper habitu quodam cachectico stipatur, cujus prima vestigia, jam cernuntur, antequam tumores patefiant. Scrofula generatim morbus est, qui quaedam subjecta prae caeteris plectere solet, ejusque character in indole sistit specifica scrofulosa dicta: quemadmodum diatesis rachitica infantes corripit in primis mensibus, ita ad tertium circiter annum scrofulosa diathesis incedit, quae dispositio usque ad annum septimum, autem parum ultra perdurat atque evolvitur; raro enim habetur in pubertate, rarissime observatur in adultis, et dum hic morbus in aetate juvenili ant adulta adparet nonnisi residuum est diathesis scrofulosae quae fuit in prima aetate quaequae scrofula adultorum nuncupatur.

Phoenomena diatheseos scrofulosae.

Superficies interdum pallida quandoque genae diluto rubore scatent, facies laxa, pastacea, turgidula, sed turgor hic morbosus videtur, cutis peculiariter tenera, labium superius tumidum crassum et prominens proboscidis ad instar, quod glandularum meseraicarum plerumque tumores signat, ut refert *Curtius Sprengel;* itidem nasus crassus et ad basim valde latus, comite turgescentia genarum atque aurium; infarctus quoque

accedunt in glandulis meibomianis palpebrarum, quapropter earum margines crassi fiunt et fere callosi; frequenter humor peculiaris ab illis transudat atque margines inter se conglutinat quod speciatim post somnum evenit; interdum oculus etiam corripitur; et nascitur *blepharotalmitis scrofulosa*; halitus oris muccidus, abdominis inflatio atque urina turbida ac mucosa; sed essentialis character, qui eo magis scrofulam designare valet, est superabundantia principii lympatici una cum ipsius lympahae peculiari cachochymia. Dicta autem lymphae superabundantia efficit ut istud principium per varia colutoria transudet, et ea propter mox oritur lymphoncosis, mox gignitur crusta lactea, interdum blenorrhoea narium, et quandoque ipse hydrocephalus. Eadem ex ratione oritur in infantibus saepe saepius otirrhoea chronica, et nascuntur etiam effusiones in bursis mucosis nec non in cavis articulorum, ex quibus hydrarthros habetur scrofulosus et ex codem fonte polychilia lymphatica ad cutaneam superficiem se prodit, quod cutis flaciditati favet; nascuntur quoque multifariae aliae affectiones et praecipue turbae nervosae. His omnibus phaenomenis junguntur variae glandularum indurationes, et tunc morbus penitus est evolutus. Pro diversa subjecti dispositione variae sunt adfetcio-

nes cutanae quae opitulante diathesi scrofulosa observantur; modo papulae, modo crustae variae in tota corporis superficie cum notabili pruritu, quae dum in exulcerationes transeunt, morbum constituunt dictum helcosim scrofulosam. Diathesis scrofulosa interdum se se manifestat in solis glandulis sub axillaribus et inguinalibus atque tunc habetur intumescentia scrofulósa; vel etiam diathesis se concentrat in glandulis internis, et tunc scrofula mesenterica gignitur, quae si infantibus occurrit, facile cum saburra pituitosa consociatur et atrophiam mesentericam inducit.

Denique cum se prodat diathesis in plexubus pulmonalibus, uriuntur in illis tuberculosae concretiones quae phthisim pulmonalem scrofulosam producunt. Insuper quoque in articulis nec non in systemate osseo scrofulosa diathesis incedit, atque tunc stases in periostio oriuntur, aut in bursis synovialibus, quae in suppurationem malignam sive cariem transeunt *paedarthrocaces* nomine insignitam. Quamvis scrofula morbus sit, qui prae ceteris systema reproductivum afficit, tamen sub ejus decursu nervos quoque adgredi potest, quare mox eretismus adauctus evolvitur, mox torpor, narcosis, blakia; sub isto eretismo nascuntur dolores, convulsiones, subsultus ten-

dinum et similia; atque sub narcosi e contra oriuntur anasthesia et paralysis.

Recenseri autem meretur scrofulae illa modificatio sub qua peculiaris nisus diatheseos scrofulosae in oculis cernitur. Haec dicitur ophtalmia scrofulosa, de qua variae habentur species pro diversitate partis in oculo adfectae; ita dum adficiuntur glandulae meibomiane dictur blepharitis scrofulosa; vel afficitur membrana mucosa sacci lacrimalis atque tunc nuncupatur dacryocystitis scrofulosa; vel turgor in bulbo oculi se manifestat et ophtalmiae scrofulosae nomine insignitur. Dignoscitur blepharitis ex intumescentia rubore, duritie ad margines palpebrarum; si in ipso oculo scrofula se prodit, tunc oritur symphoresis sive congestio in vasculis minimis membranae serosae et mucosae ipsius bulbi oculi, nempe conjunctivae, quae pedetentim inflammatur et non raro in suppurationem transit, quae in primis sub phlyctenarum forma se se offert, quibus adapertis pus exit indolis ichorosae. Si istae phlyctenae rumpuntur in sclerotica prope corneam gravioribus junguntur periculis, nam facillime ichor corneam ipsam arrodit, perfodit, et oritur hernia corneae, nec non prolapsus iridis, unde fit synechia anterior. Ejusmodi ophtalmia, quae distinguitur rubore admodum diluto

et phlyctenis praedictis symptoma agnoscit proprium prae aliis omnibus ophtalmiae speciebus, miram nempe phothophobiam sive lucis intollerantiam; miram diximus, quod habitu respectu ad universalem corporis laxitatem et atoniam, tanta in oculis sensibilitas omnino in contradictione videretur.

Aetiologia.

Scrofulae caussae omnes versantur in iis rebus quae motum lymphae tardare, ejus qualitatem alterare, debilitare vasa lymphatica et glandulas possunt. In scrofula disponuntur qui labem haereditariam a parentibus aquisivere, infantes compagis organicae laxae et mollioris, illi a parentibus rachiticis aut syphiliticis orti, atque praeter haec aetas quoque a tertio usque ad septimum annum scrofulae magis favet. Occasionales caussae praesertim sunt aer humidus, parum oxygenatus, reclusus, pravus, victus crudus, crassus, farinosus, caseosus, studia diu protracta, in subjectis enim scrofulosis et rachiticis precox ingenii evolutio observatur.

Si itaque caussas disponentes et incitantes una cum ipsis morbi phoenomenis perpendere velimus, facile patet, quomodo ille diatheseos

universalis influxus resimilationis negotium prae aliis perturbare debeat; hinc propter principii lymphatici abundantiam, turgores in plexubus et glandulis lymphaticis oriuntur; porro pro lymphaticorum inertia de die in dies adaucta, minus elaboratur lympha, magis densa evadit, et proinde etiam qualitativo modo alterata; quapropter scrofulae caussam proximam reponimus non modo in lympha excedenti quantitate, verum etiam in ejus perversa qualitate; licet alii caussam obstructionis scrofulosae proximam, in vasorum sanguiferorum atonia et in resorptionis diminutione sitam esse autumant. Etiam Heine systematis absorbentis pigritiam caussam scrofularum proximam constituere opinatur; et Clarke ita se exprimit: caussa scrofulae proxima in systematis lymphatici morbosa actione consistere videtur.

Terminationes.

Aliorum morborum ad instar terminari possunt scrofulae in *sanitatem,* in *mortem*, et in *alios morbos*. Salutem non adeo infrequenter attingit scrofula, dum vero faventes adsint circumstantiae, ubi nempe omnia illa momenta, quae scrophulam inducere diximus, evitantur, atque regimen diaeteticum emendatur. Maxima autem et

fere unica circumstantia qua scrofula sanatur est evolutio physiologica et praecipue transitus in aetatem puberem. Frequentius mors scrofulae finem imponit, et praecipue si de scrofula interna questio sit, tamen etiam scrofula externa laethalem exitum consequi potest, saltem mediato modo, quando nempe diathesis scrofulosa mutatur aut consociatur cum hydropica vel scorbutica et tabem inducit. Aliquando etiam intumescentiae glandulosae colli ad tantam molem pervenire possunt, ut earum pressio supra tracheam suffocationem inducat, quod pluries evenit, uti quoque pressio ipsarum glandularum super oesophagum saepenumero deglutitionem praepedisse traditur. Nimia inflatio glandularum scrofulosarum thoracis, originem toties praebuit asthmati mortali, uti refert Soemmering. Tumores scrofulosi glandularum mesenterii atrophiam sive tabem mesentericam inducunt; et abnormis molis glandularum, quae pelvim incolunt, nonnunquam faecum exitum prepedire, et etiam pariendi impotentiam induxere, unde patet, caetera diversa vitia secundaria a scrofula inducta, ab eadem locali adfectione semper pendere; ita dum vitium sistit in pulmonibus, phthisis lenta scrofulosa saepe saepius oritur; vel dum externe se prodit scrofula, gignuntur ulcera; et ubi diathesis prae

aliis ossa corripiat, tunc inducit cariem, spinam ventosam, artrocacem, rigiditatem in articulis, et anchylosim.

Therapia.

Therapia, antiscrofulosa dicta, juxta scrofulae nosogeniam dirigi debet, et nonnisi indirecta esse potest, caussam ipsius morbi proximam perpendo. Ergo indicata sunt omnia quae lymphae qualitatem corrigunt et simul superabundantem e corpore eliminant, quaeque reproductivum processum ad pristinum normalem statum restituunt. Speciatim vero his indicationibus satisfaciunt solventia, amara, alterantia et sub emetica; sed in variis substantiis resolventibus diversus habetur gradus actionis. Postquam autem devicta fuerit diathesis, tunc altera surgit indicatio, nempe ut systemati lymphatico robur redonetur, ne iterum morbosae renoventur sthases; quam indicationem optime absolvunt adstringentia, tonica, et ipsa stimulantia. Primum vero in scrofula laudantur martialia, antimonialia, uti extractum martis, tinctura martis pomata, flores salis ammoniaci martiales, vitriolum martis, spiritus aeteris ferrati etc. Alia metalla quoque propinari possunt maximo cum emolu-

mento et precipue cuprum, cujus praeparata sunt cuprum ammoniacale et alia, atque praeter metalla praedicta plura quoque commendantur diversae indolis remedia, praesertim murias calcis et baritis, dein cortex peruvianus, cortex nucis viridis, glandes querciae sub forma coffeae, deinde decocta attenuantia dicta et depurantia, uti sunt decoctum lignorum, ligni guajaci, juniperi, porro salsaparilla, saponaria, salicaria, dulcamara, et alia quamplurima quae peculiari modo vasorum lymphaticorum reactionem incitant, et quorum ope lympha melius elaboratur. Adsunt quoque quaedam remedia empirica, quorum virtus a nonnullis in scrofula summopere laudatur, sicuti spongia usta, magnesia, decoctum herbae tussilaginis farfarae et similia. Ut vero remedia, quae selecta sunt, tutius agant, et finis optati attingendi major adsit probabilitas, in scrofulae therapia sequentia notanda sunt momenta.

I. In scrofulae primordiis obstacula, si adsint, ammoveri debent, quae primas vias inquinant, silicet saburrae et vermes, quae sistunt fere scrofulae sorores. Tales complicationes ammoventur cum purgantibus incidentibus et rhabarbarinis, atque interdum emeticis, dum saburra praecipue in ventriculo existat.

II. In quorumlibet pharmacorum usu semper a dosi parva est incipiendum, et praesertim cum remediis heroicis, paullatim ad doses majores, atque ad maximas dein transeundo.

III Patienter est continuandum in remediorum administratione, nam decursus scrofulae est valde lentus et taediosus.

IV. Dum cum jam symptomata magis urgentiora adsint, methodus quoque symptomatica haud est negligenda.

Dum vero ophtalmia oritur scrofulosa mercurialibus, prae aliis eam adgredimur, praecipue cum mercurio sublimato corrosivo, et laudano liquido sydenhamii, sub forma collyrii Conradi. Ubi molesta adsit photophobia, ab hoc colliyrio abstinendum est, cujus loco laudanum liquidum adplicatur, non neglectis vero frictionibus stibiatis ad nucham, retro aures, et ad tempora ipsa. Ubi ophtalmia cum pustulis, phlychtaenis aut ulceribus in oculis adpareat, tunc statim a mercurialibus erit desistendum, et ad adstringentia confugere necesse est, uti ad saturnina cum opio, et ad lapidem infernalem peculiaro modo modificatum, qui componitur ex vitriolo caeruleo, camphora et alumine, quapropter melius ab aliis vocatur *Lapis Divinus.* Hoc remedium ad grana octo vel decem exhibetur in aquae fontis unc. vj

vel viij cum pauxillo lactis. Si otirrhaea adsit, injectiones erunt instituendae potissimum adstringentes. Ubi scrofula potius et fere unice externe se prodat, tunc illius cura ad forum chirurgicum pertinet. Quando symplex observatur infarctus glandularum, alterantia, resolventia et tonica requiruntur topice adplicita, uti cataplasmata de cicuta, emplastra de galbano, de sapone, de gummi ammoniaco, vel meliloto. Dein sponte liquet regimen diaeteticum remediis adhibitis semper respondere debet, quapropter seligendus est aer purus oxigenatus, siccus, diaeta potius vegetabilis aut etiam animalis sed digestu facilis commendanda erit, potus non sympliciter aquosus, sed pauxillo vini mixto sumendus, corporis exercitia modica et balnea semper proficua evadent.

THESES DEFENDENDAE

I.

Inspersio ulceris, ope penicilli solutione sublimati corrosivi imbuti, ut ejusdem scrofulosa vel syphilitica natura eruatur experimentum fallax.

II.

Metastases a sano medico excludi nequeunt.

III.

Tenia solium aliorum vermium, vel ejusdem vel alius generis, praesentiam non excludit.

IV.

Contagia omnia ex Oriente nobis delata sunt.

V.

Nervorum ufficium necessario cum sanguinis usu conjungitur.

VI.

Plures sunt morbi divitum ac pauperum.

VII.

Systema cujuvis medico rationali necessarium.

VIII.

Mydriasis non semper verminationis indicium.